

## 504.

*Johannes Reynhardt von Zöbiger, Collegiat des großen Fürstenkollegs, verordnet, daß nach seinem Tode an bestimmten Tagen Seelenmessen für ihn gehalten werden sollen und setzt dafür eine Summe von 100 Gulden, jährlich mit 5 Gulden zu verzinsen, fest.* 1554 Mai 21.

5 Hdschr.: Copiale des großen Fürstenkollegs fol. 67—69.

In nomine domini. Amen. Animadvertens ego Iohannes Reynhart de Tzebiker, artium et decretorum doctor, collegii principis Lipsensis studii collegiatus, cum doctores et magistri iam dicti collegii collegiati longo retro tempore cum doctoribus et magistris aliorum collegiorum studii antedicti tempore anniversariorum quorundam dominorum  
 10 doctorum et magistrorum in Christo defunctorum in nonnullis distributionibus, que vulgariter presentie nuncupantur, participes fuerant, e contra vero minime, ne itaque doctores et magistri antedicti collegii principis collegiati diutius ingratitude vitio a quoquam notentur, sed eo facilius alii ad similia pietatis opera invitentur, ea propter ego Iohannes Reynhart, qui supra, preter meam ultimam voluntatem alias per me factam et ordinatam  
 15 facio, ordino et volo, ut postquam vita functus fuero meus anniversarius per omnes collegiatus huius universitatis observetur et peragatur in hunc qui sequitur modum: In primis fiat pulsus hora prima apud sanctum Nicolaum pro vigiliis et die sequente alius pro missa animarum ibique decantanda ad instar aliarum exequiarum, pro quibus pulsantur pulsanti x gl. antiqui, item plebano dentur duo gl. novi, ita quod ultimam lectionem  
 20 in vigiliis legat et dominica anniversarium precedenti eundem certis diebus tunc sequentibus celebrandis de ambonibus manifestet ac denunciaret, item subplebano detur 1 gl., item custodi 1 gl., item 2 gl. de duabus missis sub officio defunctorum legendis, item 1 gl. de panno ad tumbam, item 1 gl. de luminibus sive candelis circa tumbam, item 1 gl. duobus choralibus et faciunt in summa duodecim gl. et quatuor  $\delta$ , que quidem  
 25 summa totalis detur domino plebano sancti Nicolai ad distribuendum, sicuti prescriptum est. Item unum talentum cere pro candelis ad offertorium fiendis prepositus collegii principis disponet, idem etiam prepositus exequias huiusmodi in antedicti studii doctorum anniversario tenendas procurare ac easdem magistris et doctoribus aliorum collegiorum solito more intimare tenebitur, quatenus in vigiliis ante finem primi nocturni et in missa ani-  
 30 marum ante epistolam ibique in choro presentes existant et usque ad finem vel quasi permaneant oblationem trium  $\delta$ . usualium faciendo, sintque omnes tunc presentes asstricti ad legendum in sero vigiliis mortuorum cum novem lectionibus et hi qui sacerdotio funguntur ultra sive ad legendum unam missam pro animarum fundatore teneantur et eorum quilibet teneatur. Habebit autem quilibet collegiatorum in utroque officio pre-  
 35 sens decem gr. antiq., si autem utrumque neglexerit, carebit ex toto, si autem in altero eorum affuit, medietatem habebit dumtaxat. Que omnia et singula prescripta prepositus collegii principis executioni fideliter demandabit atque omnibus et singulis prenarrata solutionem realem faciet de quinque florenis Rynenss. census, per me Iohannem Reynhart apud consulatum Lipsensem centum florenis Rynensibus in auro emptis, prout in